UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

M. DC. LXI. Coloniae Munatianae, 1661

De Immvnitate Ecclesiarum. Titvlvs XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62953

Visual Library

DE IMMVNITATE ECCLEſiarum.

TITVLVS XVII.

CAP. I.

Revocat & pro infectis vult haberi decretalem, clericis, eod. tit. lib. 6. cum ſuis declarationibus. Io. And.

Clemens V. *In Concilio Vienenſi.*

QVoniam ex conſtitutione Bonifacii Papæ octavi prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Clericis laicos. & ex declaratione, ſeu declarationibus ex illa poſtmodum ſubſecutis, nonnulla ſcandala, magna pericula, & incommoda gravia ſunt ſecuta, & ampliora ſequi (niſi celeri remedio ſuccurratur) præſumitur *a* veriſimiliter in futurum: Nos de conſilio fratrum noſtrorum conſtitutionem, & declarationem, ſeu declarationes prædictas, & *a* quicquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas, penitus revocamus, & ea haberi volumus pro infectis: Volentes & firmiter ſtatuentes, illud (contra quoſcunque laicos, exigentes ſeu extorquentes ab eccleſiis eccleſiaſticisque perſonis tallias ſeu collectas aut exactiones quaſcunque, & contra dantes ad id faciendum conſilium, auxilium vel favorem, necnon & circa præſtandas ſubventiones licitas eccleſiarum prælatis, aliisque viris eccleſiaſticis) inviolabiliter obſervari, quod ſuper his à prædeceſſoribus noſtris in Lateranen. & generali Conciliis, quæ nos ſub obteſtatione divini judicii præcipimus obſervari diſtricte, ſalubriter eſt proviſum.

a *al. Præſumantur.*

a *In vetuſto codice manuſcripto ita: ac omnia & ſingula ex eis penitus, &c.*

F I N I S.

CLEMENTINARVM LIBER QUARTUS.

DE CONSANGUINITATE, ET AFFINITATE.

TITULUS UNICUS.

CAP. VNIC.

Scienter contrahens matrimonium in gradu conſanguinitatis vel affinitatis prohibito, vel cum moniali, excommunicatus eſt ipſo jure: & publicari debet & vitari. Idem in profeſſo & profeſſa, vel conſtituto in ſacris. Ioann. Andr.

Clemens V. *In Concilio Vienenſi.*

EOs *a*, qui (divino timore poſtpoſito in ſuarum periculum animarum) ſcienter in gradibus conſanguinitatis & affinitatis conſtitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur: Necnon religioſos & moniales ac clericos in ſacris ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes, refrænare metu pœnæ ab hujuſmodi eorum temeritatis audacia cupientes: Ipſos excommunicationis ſententiæ ipſo facto decernimus ſubjacere. Præcipientes eccleſiarum prælatis, ut illos, quos eis conſtiterit taliter contraxiſſe, excommunicatos publice tamdiu nuncient, ſeu à ſuis ſubditis faciant nunciari, donec ſuum humiliter recognoſcentes errorem ſeparentur abinvicem, & abſolutionis obtinere beneficium mereantur. Per prædicta quoq; juribus, quæ ſic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari.

a *Vid. Concil. Tridentin. ſeſſio. 24. de reform. matrimonial. cap. 5. & de intellectu, beatum Antonium tractat. de excommunicatione, cap. 54. adde Covarruviam lib. 4. decretal. part. 2. cap. 3. §. 2. num. 8.*

F I N I S.